


EPISTULA LEONINA

CLXXVIII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXXVII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM DUODECTOGESIMAM (178) !

ARGUMENTA

QUIDQUID AGIS, PRUDENTER AGAS.....	03
GESTA ROMANORUM, CAP.103.....	04-07
FABELLA GRIMMIANA: De flore diantho.....	08-14
MYTHUS GRAECUS: Quomodo Hercules mortuus sit.....	15-22

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam duodeogesimam (178). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!

Denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege fruere!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 14. m.Oct., a.2018**



QUIDQUID AGIS PRUDENTER AGAS ET RESPICE FINEM

GESTA ROMANORUM Cap.103 (95)

in: ed. Berolini 1872 Hermann Oesterley, p.431, lin.32sq.

N.B.: Ibidem legitur *agas*, non *agis*. Vide huius [EL](#) paginam sequentem!

Haec sententia, quae invenitur in *Gestorum Romanorum* opere mediaevali, derivatur ab *apologo Aesopi* 78, qui spectat ad *Duas Ranas*. Porro in *Dictis Aureis Pseudo-Pythagoreis* inveniuntur verba haec: Βουλεύου δὲ πρὸ ἔργου, ὅπως μὴ μῶρα πέληται, i.e. Delibera ante factum, ne quid stulti fiat.

Calligraphia, quam supra vides, in Iaponiâ est confecta anno aerae Iaponicae *Meiji* tertio decimo, i.e. **anno Domini 1880**. Haec charta pulcherrima publicae scholae medicinali in urbe *Nagoya* donata est ab *Albrecht de RORETZ (1846-1884) medico Austriaco* d.13 m.Apr. inter convivium, quod factum est valedictionis causâ. In eâdem scholâ hic vir doctus per quadriennium docuerat. Sub verbis Latinis scripti sunt characteres Sinici, quibus sensus proverbii redditur. Textum Latinum in Sinicum convertit *TANO Toshisada*, Textus proverbio subscriptus continet nomina studentium et verba quae sunt: *D.13 m.Apr., anno ipsius Meiji 13: Datum est a Viceprincipe Albrecht von Roretz. Quamquam hoc breve tantum proverbium est, nobis studentibus multum valet. Nam nobis multae res erunt agenda, ut sequamur hoc proverbium.*

De omnibus rebus cum consensu et providencia semper agendis

GESTA ROMANORUM Cap.103 (95)

in: ed. Hermann Oesterley, Berolini 1872, p.431-434

<https://archive.org/details/gestaromanorum00oestgoog/page/n444>

Domicianus regnavit, prudens valde et per omnia justus, quoniam nulli parcebat, quin per viam justicie transiret. Accidit semel, dum in mensa sederet, venit quidam mercator et ad januam pulsavit; janitor vero portam aperuit et, quid ei placeret, quesivit. At ille: Mercator sum, aliqua habeo ad vendendum utilia pro persona imperatoris. Janitor hoc audiens eum introduxit; ille vero imperatorem satis humiliter salutavit. Ait ei imperator: Carissime, quale mercatorium ad vendendum habes? Et ille: Domine, tres sapiencias. Qui ait: Et quomodo michi dabis quamlibet sapienciam? Et ille: Pro mille florenis. Ait rex: Et si sapiencie tue michi non prosunt, pecuniam meam perdo. Ait mercator: Domine, si sapiencie mee in vobis locum non optinent, pecuniam reddam. Ait imperator: Optime dicis, dic modo michi sapiencias, quas michi vendere velis. Et ille: Domine, prima sapiencia est ista: **Quicquid agas, prudenter agas, et respice finem.** Secunda est ista: Numquam viam publicam dimittas propter semitam. Tercia sapiencia est ista: Numquam hospicium ad manendum de nocte in domo alicujus accipias, ubi dominus domus est senex et uxor junvencula. Hec tria custodias, et bene tibi erit. Rex dedit ei pro qualibet sapiencia mille florenos; et primam sapienciam, scilicet: Quicquid agas etc., fecit scribi in aula, in camera et in omnibus locis, in quibus ambulare [82 b] solebat, et in mappis, in quibus comedebat. Post hec cito, quia tam justus erat, multi de imperio contra eum conspirabant, ut eum occiderent, et quia per viam potencie hoc adimplere non poterant, cum barbitonsore ejus loquebantur, ut, cum barbam ejus raderet, guttur ejus scinderet, et mercedem haberet. Barbitonsor vero, accepta ab eis pecunia, fideliter adimplere promisit. Cum vero imperator radi deberet, barbitonsor barbam lavit, et dum incepit radere, respexit inferius, vidit manutergium circa collum ejus, in quo erat scriptum; Quicquid agas etc. Cum barbitonsor scripturam legisset, intra se cogitabat: Hodie sum conductus, ut istum hominem

occidam; si hoc fecero, finis meus erit pessimus, quia morte turpissima ero condemnatus, quia, quicquid agas, bonum est, respicere finem, ut dicit ista scriptura. Statim manus ejus inceperunt tremere ita, quod novacula de manibus ejus cecidit. Hoc percipiens rex ait: Dic michi, quid tibi est? Et ille : O domine, miserere mei, hodie sum conductus propter precium te occidere; a casu sicut deus voluit scripturam manutergii legi scilicet: Quicquid agas etc.; statim consideravi, quod finis meus esset mors turpissima, ideo manus mee tremebant. Imperator cum hoc audisset, intra se cogitabat: Prima sapientia vitam meam salvavit, bona hora precium pro ea dedi. Et ait barbitonsori: Ammodo sis fidelis, tibi remitto. Satrape imperii hoc videntes, quod non poterant per illam viam eum occidere, intra se tractabant, quomodo eum occiderent, et adinvicem dixerunt: Tali die recedet versus illam civitatem; simus illo die in semita absconditi, per quam transitum faciet, et eum occidamus. At illi: Bonum est consilium. Rex eodem tempore versus civitatem preparabat se, et cum equitasset usque ad semitam illam, dixerunt ei sui milites: Domine, bonum est per istam semitam transire, quam per latam viam, quia propinquior est. Rex intra se cogitabat: Secunda sapientia erat, quod numquam viam publicam propter semitam dimitterem. Sapientiam meam tenebo. Dixitque militibus suis: Nolo viam publicam dimittere, vos ergo, qui vultis per semitam pergere, ite et omnia in adventu meo preparate. Illi vero per semitam perrexerunt et inimici regis cum essent in semitis, credebant, quod [83] rex inter eos esset, omnes surrexerunt et quotquot venerunt, occiderunt. Rex cum hoc audisset, ait intra se: Jam secunda sapientia mea vitam meam salvavit. Illi de imperio videntes, quod per illam [astuciam] eum occidere non poterant, intra se conspirabant, quomodo eum necarent dixeruntque intra se: Tali die manebit in domo talis, in qua omnes nobiliores hospitantur, quia alia non est pro hospitibus. Conveniemus precio cum hospite et uxore, et cum imperator in stratu suo jacuerit, illum occidamus. At illi: Bonum est consilium. Cum vero rex ad illam civitatem venerat, in eadem domo hospitatus erat, fecit ad se vocari hospitem domus; et cum eum vidisset, apparuit senex valde. Ait imperator: Numquid uxorem habes? Et ille: Eciam, domine. Qui ait: Ostende michi eam! Quam cum rex vidisset, apparuit juvencula, habensque XVIII annos in etate. Ait rex camerario suo: Perge cito, et lectum meum alibi preparato, quia hic non manebo. At ille: Eciam,

domine, sed jam parata sunt omnia; ideo non est bonum alibi jacere, eo quod in tota civitate pro nobis hospicium utilius. Et ille: Ego dico tibi, quod alibi jacere volo. Statim camerarius omnia disponebat et rex occulte ad alium locum accessit et militibus dixit: Vos, qui vultis hic manere, potestis, sed mane ad me accedatis. Cum omnes dormirent, senex cum sua uxore surrexit, quia precio conducti erant, ut regem dormientem occiderent, et omnes milites occiderunt. Mane vero surrexit rex et milites suos occisos invenit. Ait in corde suo: O si hic jacuissem, cum aliis necatus fuisset! Jam tertia sapientia vitam meam salvavit. Senem cum uxore et tota familia in patibulo suspendi fecit et quamdiu vixit, istas tres sapientias secum retinuit et vitam beatam finivit.

Carissimi, iste imperator potest dici quilibet bonus christianus, qui habet imperium corporis sui et anime sue, seu animam regere; janitor in porta est voluntas libera, quia nullum peccatum, nisi sit voluntarium; mercator, qui venit ad portam, est dominus noster Iesus Christus, iuxta illud Apocalyps.<is>: Ego sto ad hostium et pulso; si quis aperuerit michi, intrabo ad eum et cenabo cum eo. Unde cotidie vendit tibi pro anima tua tres sapientias. Floreni sunt virtutes anime; prima [83 b] sapientia, scilicet Quicquit agas etc., hoc est quicquit facis, primo et principaliter debet esse propter deum, et non ad laudem temporalem juxta illud proverbiorum: Memorare novissima tua et in eternum non peccabis. Secunda sapientia: Nolite viam publicam dimittere propter semitam. Via publica est via decem preceptorum, quam debes semper tenere usque ad mortem et numquam per semitam male vite ambulare, sicut heretici faciunt. Tercia sapientia est: Numquam hospicium ad manendum de nocte in domo alicujus accipias etc. Senex iste est mundus iste, qui habet juvenulam, in uxorem, i.e. vanitatem. De die in diem oritur immunda et vana vanitas, unde, si in mundo hospitatus fueris, sine dubio timendum est de morte, quia nemo potest deo et mundo servire. Satrape, qui contra regem conspiraverant, sunt demones, qui semper nituntur, spiritualiter, occidere, et si non poterunt per se, loquuntur cum barbitonsore, i.e. carne, que ad modum barbitonsoris radit omnes pilos. Caro per voluntatem suam radit virtutes, quas in baptismo homo recepit. Sed si homo ad finem suum respiceret, scilicet ad mortem, qua morte debemus mori, vel ubi, vel quando, recederet a nobis omnis malus

actus. Studeamus ergo istas tres virtutes et sapiencias tenere, et sic poterimus ad eternum bravium¹ venire.

CAPITULUM CENTESIMUM TERTIUM

OPERIS MEDIAEVALIS, C.T. GESTA ROMANORUM

EX EDITIONE HERMANNI OESTERLEY

EXSCRIPSIT

LEO LATINUS

¹ **bravium**, -ī n. (=brabēum, gr. βραβεῖον) i.q. praemium certaminis.

FABELLA GRIMMIANA

76. De flore diantho



Aliquando regina fuit, quae, quia a Deo Domino nostro conclusa erat, non peperit infantes. Itaque eadem omni mâne in hortum ibat et Deum caelestem orabat, ut sibi donaret filium filiamve. Aliquando angelus de caelo vênit et dixit: »Oportet contenta sis, nam filium habeas, qui cogitet vi magicâ¹, nam is quaecumque in mundo sibi exoptaverit, ea accipiet. Tum regina ad regem iit nuntiumque laetum ei tulit et tempore transacto eadem filium peperit, et rex magnâ laetitiâ est imbutus.

Nunc regina omni mâne cum infante in therotropheum ibat ibique ad puteum limpidum se lavabat. Aliquando factum est, ut eadem, cum infans aliquantulum natu maior in gremio iaceret, obdormiret. Tum coquus vetus vênit, qui scivit infantem cogitare vi magicâ, eumque rapuit, et gallinam sumptam discidit eiusque sanguinem vestimento encombomatique instillavit. Deinde infantem abstulit in locum secretum, ubi a nutrice lactaretur, et ad regem properavit et reginam

¹ cōgitat vī magicā orig. *er hat wünschliche Gedanken.*

accusavit, quod infantem a bestiis feris rapi iussisset. Rex autem cum encomboma sanguine oblitum esse conspiceret, hoc credidit tantâque irâ incensus est, ut curaret turrim altissimam aedificandam, in quam neque sol neque luna splendebat, eidemque uxorem imponendam murisque includendam; necnon imperavit, ut ea ibidem per septem annos sine esculentis potulentisque tabescens sederet. At Deus duos angelos ex caelo misit in formam duarum columbarum candidarum mutatas, quae debebant cottidie ad illam volare, ut cenam afferrent, usque dum septem anni essent transacti.



Coqus autem intra se cogitavit: »Si infans me praesente cogitaverit vi magicâ, facile poterit, ut me in difficultatem adducat«. Deinde e castello profectus iit ad puerum, qui interim tanto iam adoleverat, ut loqui sciret, eique dixit: »Exopta tibi pulchrum castellum, cum horto et omnibus, quae ad haec spectant«. Vix autem verba ex ore pueri dicta erant, iam omnia adfuerunt, quae exoptaverat. Aliquanto post

coquus puero dixit: »Haud bonum est te esse solum, exopta tibi pulchram virginem, quae tibi socia sit«. Tum filius regis sibi exoptavit, ut talis virgo adesset; et statim talis puella stetit ante eum, quae pulchrior fuit, quam ut a pictore posset pingi. Nunc ambo unum ludebant intimo ex animo inter se amantes, et coquus vetus venabatur more viri nobilis. At eidem in mentem venit fieri posse, ut filius regis exoptaret se esse apud patrem; itaque coquus timuit, ne ipse tali optato pueri principis in magnam miseriam induceretur. Tum vir exiit et puellae seorsim ductae dixit haec: »Hac nocte puer cum obdormivisset, i ad eius lectum et cor eius cultro percute, eiusque cor et linguam affer mihi; nisi hoc feceris, vitam tuam amittes«. Deinde abiit, et postridie cum reveniret, illa facinore infecto: »Quidnam« inquit, »interficiam hominem innocentem, qui neminem umquam laesit?« Tum coquus: »Nisi« inquit, »hoc feceris, ipsa dabis poenam capitalem«. Cum coquus abiisset, puella curavit cervam parvam adducendam et mactandam, eiusque cor linguamque catino imposuit, et coquum adventurum esse cum videret, puero dixit: »In lecto te colloca et lodice te obtege«.

Tum maleficus intravit et rogavit: »Ubi sunt cor et lingua pueri?« Puella ei catinum obtulit, sed filius regis lodice abiectum: »Vae tibi, vetus peccator, quare me necare voluisti? Nunc tibi iudicium dicam. Oportet tu fias nigerrimus canis villosus, cuius collum catenam auream est circumdatum, et ut devores carbones tam ardentis, ut ex collo tuo flamma exigatur flagrantissima«. Filius autem regis vix haec locutus erat, iam iam coquus mutatus est in canem villosum, et collum eius catenam auream circumdatum erat, et coquis sursum afferendi erant carbones ardentissimi, quos devoraret, ut flamma ex eius ore exigeretur flagrantissima. Nunc filius regis paulisper remanens matrem recordatus deliberavit, num ea adhuc viveret. Denique puer puellae dixit: »Volo in patriam redire, si mecum ire volueris, te nutriam«. »Ah« illa respondit, »via est perquam longa, nec scio quid agam in terra peregrina, ubi ignota sum«. Quia puella hoc noluit, sed ambo noluerunt unam ab altero disiungi, puer optavit, ut puella fieret pulcher dianthus, quem sacco imposuit.



Tum filius rēgis profectus est in patriam suam nec canis villosus potuit, quin eum comitaretur. Nunc iit ad turrim, cui inerat mater sua, et cum turris esset altissima, puer sibi exoptavit scalam, quâ ascenderet usque ad summam turrim. Deinde ascendit et turri inspectâ vocavit: »Mater carissima, Domina regina, vivisne adhuc an iam mortua es?« Illa autem respondit: »Cum modo demum comederim, adhuc satura sum«, nam putavit angelos adesse. Tum filius rēgis: »Filius« inquit, »tuus sum carissimus, qui dicitur a bestiis feris raptus esse e gremio tuo; sed adhuc vivo et mox te servabo«. Nunc puer descendit et ad dominum suum patrem iit et se annuntiare iussit nomine venatoris veteris munus quaerentis. Tum rex respondit illum munus accepturum esse, si venandi esset peritus sibi que sciret bestias feras comparandi; at in totâ regione numquam bestiae ferae versatae erant. Tum venator pollicitus est se rēgi tot carnes ferinas comparaturum esse, quot in mensâ regiâ adhiberi possent. Deinde iussit omnes venatores rēgis convenire, ut secum foras irent in silvam. Tum illi eum comitati sunt, et is foris illos iussit circulum claudere magnum, qui uno tantum loco maneret apertus; eodem in circulo medio puer se collocavit et coepit exoptare. Mox aliquot ducentae bestiae ferae in circulum cucurrerunt, et puer venatores iussit has bestias interficere globulis iaculandis. Tum omnes bestiae impositae sunt sexaginta curribus et rēgi domum vectae sunt, ut is tandem aliquando mensam suam ornaret carnibus ferinis, quales per multos annos non habuisset.

Nunc rex de carnibus ferinis valdê laetatus iussit postridie magnam cenam praeparare, ut omnes sui aulici apud se cenarent. Omnibus

congregatis rex venatorem allocutus: »Cum tu« inquit. »tam habilis peritusque sis, oportet sedeas iuxta me«. Iuvenis respondit: »Domine rex, Maiestas tua utinam meminerit me nihil esse nisi humilem catulastrum venatorem«. At rex perseveravit rem tam diu postulare: »Oportet tu sedeas iuxta me«, usque dum ille hoc faceret. Catulaster ad mensam regalem sedens de Dominâ suâ matre cogitans exoptavit ut unus e rēgis ministris primis inciperet de illâ loqui, et quaesivit, quonam modo se haberet regina turri inclusa, et utrum illa adhuc viveret an iam contabuisset. Modo demum filius rēgis hoc exoptaverat, iam iam marescalcus coepit loqui haec: »Maiestas regalis, nos cum hîc laetê vivamus, quonam modo se habet Domina Regina in turri habitans, utrum eadem adhuc vivit an iam contabuit?« At rex respondit: »De istâ, quae filium meum carum siverit discindi a bestiis feris, nolo aliquid audire«. Tum venator surrexit et dixit: »Domine Pater clementissime, illa adhuc vivit et ego sum illius filius, neque bestiae ferae me rapuerunt, sed quidam maleficus, coquus iste vetus, istud fecit, qui matre cum obdormivisset, me ex eius gremio abstulit eiusque encombomati instillavit sanguinem gallinae«. Deinde secum adduxit canem armillari aureo instructum et: »Iste« inquit, »est maleficus« et iussit afferre carbones ardentis, quos ut coram omnibus devoraret canem coegit, ut flamma exigeretur ex eius rostro flagrantissimus. Deinde ex rēge quaesivit, num is canem vellet videre formâ verâ instructum, et rēge annuente exoptavit, ut canis denuo fieret coquus. Tum paulo post denuo in latere constitit albo encombomate indutus et cultro instructus. At coquo reviso rex irâ incensus imperavit, ut is iaceretur in carcerem profundissimum. Deinde venator loqui perrexit: »Domine Pater, visne etiam illam puellam videre, quae me tam tenerê educavit et postea iussa est me interficere, sed hoc non fecit, quamvis in periculo mortis versaretur?« Tum rex respondit: »Volo videre illam libenter«. Tum filius: »Domine Pater clementissime« inquit, »Illam vobis monstrare volo in formam floris pulchri mutatam«. Manu sacculo impositâ extraxit florem illum dianthum, eumque mensae regiae imposuit, et îdem flos fuit tantae pulchritudinis, quantaeflorem rex numquam antea viderat. Deinde filius: »Nunc eam« inquit, »volo etiam monstrare in veram formam suam mutatam«, et exoptavit, ut virgo instrueretur formâ suâ originali; puella in figuram humanam reformata nunc constitit formosior quam ut ab ullo pictore pingi posset.

Rex autem duas camerarias duosque ministros deorsum misit in turrim, ut afferrent Dominam Reginam et ad mensam regiam ducerent. Cum autem ea illuc ducta esset, nihil iam comedit et: »Deus propitius atque misericors, qui me servavit in turri vitam degentem, me est redempturus«. Tum regina etiam per tres dies vixit et deinde mortua est beata, et cum sepeliretur, eam secutae sunt duae illae columbae candidae, quae ei cenam in turrim attulerant, quae fuerunt angelae caelestes, et sepulchro reginae insederunt. Rex autem vetus iussit coquum discindere in partes quattuor, sed cum cor rēgis aegritudine tabesceret, mox mortuus est. Eius filius virginem pulchram in matrimonium duxit, quam in florem redactam sacculoque impositam secum attulerat, et Deus scit, num iidem adhuc vivant.



* *
*



FABELLAM GRIMMIANAM,

CUI TITULUS EST

»Die Nelke«


in Latinum convertit

LEO LATINUS

* *
*

MYTHUS GRAECUS

Cap.54: Hercules, Iole, Deïanira. Finis Herculis.



Ultima expeditio militaris, quam Hercules superavit, fuit ea, quam fecit contra Eurytum, regem Oechaliae, cui iam ex longo tempore irascebatur, quia îdem sibi recusaverat nuptias Iolae filiae petenti. Magno exercitu Graecorum conducto Hercules iter fecit in Euboeam Eurytum eiusque filios in urbe Oechaliâ versantes obsessurus, necnon vênit vidit vicit: arx alta funditus prostrata est, rex eiusque tres filii sunt occisi, urbs destructa. Iole, adhuc iuvenis atque formosa, captiva facta est Herculis.


Interim Deïanira domi aegritudine affecta exspectaverat, quidnam nuntiaretur de marito suo. Tandem ea in palatio audivit laetum iubilum. Nuntius rapidê adequitans: »Maritus tuus« inquit, »o principissa, vivit« - sic nuntiavit uxori anxîê auscultanti - »et

appropinquat honore victoriae ornatus et modo proelii primitias dies patriis sacrificat. Lichas eius minister, quem post me misit, in prato aperto populo enuntiat victoriam. Eius ipsius adventus eo sôlo retardatur, quod in Cenaeo Euboeae promonturio Iovi victimas debitas offert«. Mox apparuerunt Lichas vir ab heroe delegatus, et in eius comitatu captivi. Īdem Deianiram allocutus: »Salutem« inquit, »tibi dico, uxor domini mei. Di caelestes non amant impietatem: Res Herculis iusta est benedicta; gloriatores tumidi, qui fuerunt oribus impiis, omnes ad inferos properaverunt, urbs est capta. Sed maritus tuus iussit tibi dicere, ut captivis, quos huc afferimus, parcas, praesertim huic virgini miserae, quae procumbit ad genua tua«.

Deïanira misericordiae plena oculos in pulchrâ puellâ defixit, cuius statura oculique amabiliter nitebant, et eâdem e pavimento sublatâ: »Carissimi« inquit, »vehementer me miseret, quandocumque videbam miseros homines patriae expertes circacircum tractos et ingenuos fortunam servorum patientes. O Iuppiter, superator, utinam ne umquam manum tollas adversus domum meam! Sed tu quis es, virguncula miserabilis? Videris innupta et nobili genere nata! Dic mihi, Lichas, qui sunt parentes huius virginis?« »Qui ego hoc sciam? Quid hoc ex me quaeris?« legatus respondit animo fucato et vultu suo patefecit mysterium. Paulisper cum cessavisset: »Haec puella«, inquit, »certê non est aliquâ in Oechaliae domo humili nata«. Cum puella misera nihil fecit nisi gemebat atque tacebat, Deianira eam non perrexit interrogare, sed iussit eam in domum ducere ibique quam clementissimê tractare. Lichâ huic mandato obsequente nuntius primo adveniens dominam suam adiit et, ubi primum pro certo habuit verba sua a nemine praeter illam audiri: »Noli« inquit, »confidere viro, quem maritus tuus delegavit, Deïanira. Qui te celat veritatem. Ex eius ore proprio ego ipse in foro Trachinio multis testibus audivi Herculem maritum tuum neminis nisi huius virginis causâ expugnasse Oechaliam arcem altam. Quae vocatur Iole, filia Euryti, quam recepisti, cuius amore Hercules tam vehementer exarserat, antequam te pervenit. Haec iuvenca in domum tuam non vênit serva, sed aemula, i.e. uxor secundaria!« His auditis Deïanira coepit magnâ voce lamentari. Sed animo mox collecto eadem ipsa Licham mariti ministrum arcessivit. Hîc primo per summum Iovem iuravit se verum dixisse seque nescire, qui essent parentes huius virginis. Diu in hôc

mendacio perseveravit. Deïanira autem eum obsecravit, ne diutius summum Iovem irrideret. Eadem Lichae lacrimans dixit: »Etsi fieri posset, ut animus meus a marito averteretur, tamen non sum mente tam ignobili, ut irascar huic virgini, quae numquam me ullo malo affecit. Quam non aspicio nisi misericordiae plena. Nam eius felicitas tota destructa est eius pulchritudine, immo tota terra natalis eius incidit in servitutem!« Lichas cum dominam tam clementer loquentem audiret, omnia confessus est. Deinde Deïanira eum sine vituperio dimisit et iussit tamdiu expectare, usque dum donum praepararet, quo remuneraretur magnum numerum captivorum, quem maritus misisset, ut praesto sibi esset.

Deïanira autem praeceptum centauri subdoli secutus unguentum e sanguine venenoso vulneris sagittarii collectum recondiderat loco secreto. Principissa re adversâ afflictâ hoc venenum magicum, quod imperita insidiarum, quas nectere solent ulciscentes, putavit esse prorsus innocuum et quo adhibito nihil speravit nisi se mariti animum atque fidelitatem esse recuperaturam, ex illo tempore, quo idem unguentum armario condiderat diligenter velatum, nunc primo recordata est. Nunc sibi esse agendum. Itaque Deïanira in cubiculum irrepsit et flocco albi velleris ovini, quem unguento saturaverat, clam infecit mirabilem subuculam Herculi destinatam. Uxor Herculis hoc faciens floccum vestemque diligenter servavit a radio solis vestemque colore sanguineo oblitam pulchrê complicatam cistulae inclusit. His factis Deïanira lanam inutilem in pavementum deiecit, abiit, Lichae arcessitae donum obtulit marito destinatum. »En hoc vestimentum pulchrê textum affer marito meo, quod est opus manuum mei propriarum. Ne quis hoc gerat nisi maritus ipse; neve Hercules idem exponat foco igniario aut sôli fulgenti, antequam deis monstrabit die victimae sollemni idem vestimentum, quo ornabitur; nam ipsa iuravi me illi missuram esse tale, si vidissem illum revenientem victoriosum. Hôc anulo sigillario, quem tibi mando illi destinatum, maritus cognoscat te reverâ attulisse nuntium meum«.



**Ecce Lichas minister Herculi subuculam Nessi afferentem.
Xylographema Iohannis Sebaldi Behm (circa a.1542-1548).**

Lichas pollicitus est se omnia nuntiaturum esse quae domina imperavisset; nullo momento temporis diutius in palatio versatus cum dono Euboeam properavit, ne dominum victimam offerentem diutius relinqueret certiore non factum. Nonnulli dies transierunt, et Hyllus, filius Herculis atque Deïanirae, ad patrem properaverat, ut ei describeret matris expectantis impatientiam eumque commoveret, ut velocius domum rediret. Interim Deïanira forte fortunâ cubiculum illud iterum intraverat, in quo vestimentum magicum infecerat. Mulier floccum illum lanae, quem negligenter deiecerat, invênit in pavimento iacentem radiis sôlis expositum iisdemque calefactum. Quo flocco aspectu uxor Herculis territa est; nam lana tamquam pulvis vel serrago collapsa erat, et ex reliquiis spuma venenosa bulliebat sibilans. Tum mulier misera obscurê suspicata est se aliquid fecisse perniciosum, et ex eo momento temporis Deïanira horribiliter sollicita per palatium errabat.

Tandem Hyllus revertit, sed sine patre. Is taedii plenus mulierem inclamavit: »O mater, utinam tu numquam vixisses aut numquam fuisses mater mea aut di tibi dedissent mentem aliam!« Principissa,

quae iam antea fuerat sollicita, nunc his verbis a filio dictis eo vehementius territa est. Itaque: »Mi fili« inquit, »quidnam tam odiosi est in me?« Tum filius magnâ voce gemens: »O mater« inquit, »vêni ex promunturio Cenaeo: Tu patrem occîdisti!« Deïanira vultu erat pallidissimo, sed animo collecto dixit: »Quis tibi hoc dixit, mi fili, cui licet me accusare sceleris tam atrocis?« Tum iuvenis loqui perrexit: »Nequaquam doctus sum ab alieno, sed ipsis oculis meis vidi, quam miserabiliter pater meus vexaretur. Nam in promunturio Cenaeo in eum incidi, ubi modo volebat in multis aris simul victimas immolare. Tum apparuit Lichas praeco, eius minister, cum dono tuo, vestimento tuo execrabili atque homicidiali. Pater autem mandatum tuum sequens subuculam statim induit eodemque ornatus immolare coepit duodecim tauros formosos. Primo pater miserrimus ornamento tuo pulchro laetus hilariter oravit. At subito flammâ iam versus caelum flagrante, e cute patris eruptus est sudor vehemens, vestimentum visum est cuti affigi, quasi a fabro esset agglutinatum, et omnia membra eius micuerunt. Pater cum terribiliter vexaretur, quasi corpus suum a viperâ corroderetur, rugiens iussit ad se venire Licham vestimenti tui traditorem innocentem; hic vênit et mandatum tuum verbis repetivit nil suspicatus; at pater eum pede arreptum scopulis marinis tam vehementer iniecit, ut Lichas perfractus submergeretur fluctibus spumosis. Isto facinore insaniae aspectu totus populus est lamentatus, et nemo ausus est heroi furenti appropinquare. Îdem vir nunc se humi volutabat, nunc tam vehementer ululans prosiliebat, ut resonarent saxa et montes silvosae. Qui execratus est te vestrumque coniugium, quo moreretur dolorosissimê. Denique ad me conversus vocavit: »Mi filiule, si te miseret patris tui, sine morâ naviga mecum, ne moriar in terrâ alienâ!« Hoc cum rogasset, miserum navi imposuimus, et îdem micans dolore rugiens huc advênit, et mox eum videbis sive vivum sive mortuum ante te. Haec omnia tu effecisti, mater. Tu miserrimê interfecisti heroem optimum!«

Hôc sermone terribili audito Deïanira se non defendit, sed Hyllum filium reliquit tacita et desperata. Famuli, quibus domina prius confidens dixerat se maritum unguento Nessi magico velle servare fidelem, puerum docuerunt eum matri iniustê irasci. Tum Hyllus properê miserrimam secutus sero vênit. Nam in cubiculo eius mater in lecto mariti iacebat prostratus pectore gladio bipenni percusso. Tum

filius lamentans corpus matris mortuum amplexus ad eius latus se protendit gemens de verbis suis inconsideratê factis. Patre palatium adveniente filius miserabiliter immotus excitatus est. Ille vociferatus est: »Mi fili, ubi es? Iam iam gladium tuum destringe, ut disseces cervicem patris tui et sanes iram terribilem, quae effecta est a matre tuâ impiâ! Noli cessare, miserere mihi«, heroi, qui non potest, quin puellae more gemat lacrimosus!« Deinde desperatê ad circumstantes versus brachiis erectis vocavit: »Vosne adhuc novistis membra, quae nunc medullae sunt expertia? Haec sunt eadem ac illa, quae terrorem pastorum, leonem Nemeum, domuerunt, quae draconem Lernaem occiderunt, quae adiuverunt, ut interficeretur aper Erymanthius, quae Cerberum ab inferis sustulerunt! Nullâ hastâ, nullâ bestiâ ferâ silvae, nullo exercitu gigantum superatus sum; nunc perditus sum manu mulierculae! Itaque, mi fili, noca me et puni matrem tuam!«

At cum Hercules a Hyllo filio verbis sanctissimis obsecratus certior factus esset matrem infortunium insciam effecisse et negligentiam suam luisse morte voluntariâ, herois animus conversus est ab irâ ad maestitiam. Nunc Hercules Hyllum filium conubio coniunxit cum Iolâ virgine captâ, quae sibi ipsi cara fuerat, et cum a Delphico oraculo dictum esset heroi in monte Oetâ, qui pertinebat ad regionem Trachiniam, vitam esse finiendam, ipse iussit se quamvis dolorosum portari ad summum hunc montem. Ibidem iussu Herculis rogas est exstructus, in quo heros aegrotus consedit. Nunc autem suis imperavit, ut struem lignorum ab imo accenderent. At nemo eorum voluit Herculem hoc officium caritatis praestare. Tandem Philoctetes amicus iterum iterumque ab heroe dolorosissimo et desperatissimo obsecratus animum cepit voluntati amici cedere. Hercules, ut gratias ageret pro hâc beneficio facto, ei donavit sagittas suas inexsuperabiles necnon arcum suum victoriosum. Ubi primum rogas est accensus, e caelo fulmina sunt iniecta, ut flammae accelerarentur. Tandem nube ad struem lignorum delatâ, tonitribus mugientibus heros immortalis sursum ad Olympum est portatus.

Rogo autem combusto cum Iolaus aliique amici loco igniario appropinquarent reliquias herois collecturi, ne unum ossiculum quidem invenerunt.



Cum non diutius dubitarent, quin Hercules secundum vetus dictum divinum e circulo hominum in deorum transpositus esset, ei heroi inferias attulerunt eoque modo eum consecraverunt, ut fieret deus, qui paulatim totâ in Graeciâ coleretur. In caelo autem Minerva amica heroem deificatum salutavit duxitque in circulum immortalium. Ipsa Iuno animum Herculis sibi reconciliavit, cum is fatum suum mortale explevisset. Quae heroi Iuventutem filiam suam dedit in matrimonium ducendam, quae ei supra in Olympo peperit liberos immortales.





MYTHUM HERCULIS
A GUSTAVO SCHWAB
THEODISCĒ NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS



ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM QUINTAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Dominicâ, 14. m.Oct. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>